Historia Scholarum Vratislaviense gymnas. Elisabet.

Fechneri Joh: Pietas Aeneae Virgiliani in Patrem, Patriam, Coniugem, Regem, Numen — 1646.

Ἐὰν ὁ Θεὸς ἐπιτρέπῃ,

PIETAS
ÆNEÆ VIRGILIANI
IN
PATREM, PATRIAM, CONJUGEM,
REGEM, NUMEN,
EXERCITIIS DECLAMATORIIS
IN GYMNASIO ELISABETANO
VII. CALEND. SEXTILES
HORIS AB OCTAVA MATUT.
COMMENDANDA
PROCURANTE
M. JOHANNE FECHNERO FREISTAD.

VRATISLAVIÆ,
TYPIS BAUMANNIANIS
ANNO
M. DC. XLVI.

LECTORI BENEVOLO.
Gaudere & Benè rem gerere.

M*agnum ſemper & ſanctum fuit Poetæ nomen, præſertim verò pii,*
Pulcris tenellas qvi ſtudiis valet
Formare mentes, qvi ſimul arduæ
Virtutis occultum recludens
Monſtrat iter venerandus autor.

Iccirco divinus ille Plato in Cratylo *Sophiſtas tanqvam inanes verborum nundinatores meritò irridens Poetas cenſet adeundos & audiendos, non qvoslibet ex trivio, ſed* τοὺς θείους. *Neq;* Ennius *ſaltem apud* Tullium ſuo qvodam jure ſanctos apellat Poetas, qvod qvaſi Deorum aliqvo munere commendati nobis eſse videantur: *Sed omnes omnium ætatum ſapientiſſimi Poeticam Philoſophiam eſſe, ſed myſticam, ſed divinam, communi confirmarunt calculo.* Strabo *Geographorum primicerius ex eruditæ Antiqvitatis conſenſu pronunciat,* Poeticam eſse primam qvandam Philoſophiam, qvæ ab ineunte nos ætate ad vivendi rationes adducat, qvæ mores, qvæ affectiones doceat, qvæ res gerendas cum jucunditate præcipiat. *Maximus verò* Tyrius *inter Platonicos Philoſophos maximus indignatur,* Heſiodi carmina & aliorum, qvæ rapiunt animos,

In Orat. pro Arch.

Geograph. l. 1.

Serm. 16.

mos, ut argumenta merarum fabularum rudi plebiscito explodi, cum inde Philosophandi semina ipse Plato hauserit. *Ante ipsum Heraclides Ponticus allegorias & Iconismos ex Homeri de Diis commentis scriptitavit, in qvibus totam Poesin naturalem esse Philosophiam opidò demonstravit. Prætereo alios Mithosophos & Mythologos veteres, ex qvibus Naso Metamorphoseon suarum argumenta depromsit. Nulla certè est Sapientiæ humanæ pars, nullum vitæ officium, qvod non fabulosa ista Antiqvitas arguto aliqvo figmento obnuptum exponat, vel proponat.*

Verum qvemadmodum polypi piscis caput scitè conditum suavissimi & exqvisitissimi est saporis: Cæterum prodigiosa somnia parit: Ita cum viderent seqviores Poetæ placere rudi populo qvas fecissent fabulas, mira & dira finxerunt portenta, qvibus ἐσκοτισμένους *mortalium animos ita fascinarunt, ita dementarunt, ut qvicqvid aliqvis Pythio furore plenus somniasset, tanqvam grande & horribile sacrum obnixissimè adorandum crederent. Hinc illa pestilentissima superstitionis & impietatis lerna per universam Græciam dimanavit, & inde ad plerasq; orbis gentes opertis canalibus derivata est ab lymphaticis istis, non Poetis, sed vatibus fatuis, qvi castissimos Hippocrenes rivos torrentis paganici consluge turbarunt. Sic fictam Philosophiam refinxerunt in pictam Theologiam: qvam hominum fanaticorum audaciam cordatiores qvidam, & qvi supra vulgum sapere voluerunt, vehementer improbarunt, & remotâ figmentorum nebulâ apertè philosophari cœperunt.*

Et

Et qvamvis nemo ex severiori illa Philosophorum tribu archetypam Poësin fastidiat, cum Socrates ipse interdum à fabulosis narratiunculis temperare sibi neqveat: tamen imitatrix illa, sive Comica & Tragica Musa, qvæ mores effingit, à Platone *repudiatur tanqvam perlecebrosa, & publicè noxia. Ac qvis non bonus cum Platone repudiet publicarum libidinum illices Thaidas, & incestuosas Jocastas, qvæ in Comœdiis & Tragœdiis summorum Poetarum palàm prostituuntur? Qvodsi vero Comici & Tragici explodendi sunt, qvi tantum aliena fingunt crimina, qvid illis fiet, qvi diducto pudicitiæ sipario, qvi detractâ fabularum persona amores & neqvitias suas, qvas clàm patrarunt, populo decantant, & viritim qvasi dividunt? Profectò talis criminum suorum Poeta juventuti detestabilis & sacer esse debet.*

De Re-publ. l. 10.

In Epist. dedicat. in opus Poetar. Christi-an.

Ea propter Georgius Fabricius *castioris sanctiorisque Poeseos Sacerdos venerabilis rectè discrimen statuit inter Poetarum veteres, illosque in duas tribuit classes.* Est enim, *inqvit*, eorum genus qvoddam σπουδαῖον, qvod è Gratiarum & Musarum, ut loqvuntur ipsi, fontibus bibit; pudicum, sobrium, moderatum, svave. Aliud contra μανικὸν, qvod è Bachi cantharo hausit, & salem Momi nigrum consvevit lambere; intemperans, lascivum, mendax, furiosum, illud nimirum ipsum, qvod à mensâ suâ removit Hiero Rex Syracusanus, ex Academia Plato Philosophus exterminavit, è contubernio suorum Architas Tarentinus Mathematicus expulit. *Advertendum hoc est juventuti*

tuti

tuti studiosæ, ne bonos & perversos eodem numero & censu ponat, vinumq; erroris *imbibat, ut Poesin profanam* Confess. l. 1.
Augustinus *vocat. Fugiant examina nostra taxum virosam, fugiant adolescentes probè & pudicè educti eos versifices, qvibus vel* ἔρις *vel* ἔρως *dictat carmina, quorum ut olim, ita & hodiè uberrimus ubiq; est proventus. Ita urtica Martialis plures tenet, ut nullum carmen sapere credant, nisi qvod urit aut prurit. Hos Archilochi bilis incendit, ut virus maledicentiæ evomant in qvoscunq;: Illi in Veneris jacent fermento, ut verniliter versu propudioso lenocinentur. Ac benè qvidem est, qvod morbus, qvod furor iste, si non levis, tamen plerumq; brevis est. Epigramma enim ferè tantum curtum, aut Elegidion circumcisum procudunt, qvi nugis hujusmodi inclarescere vulgò cupiunt. Sed exeste Musarum Sacris, ô profani, qui bonis moribus nocere satagitis, qui Theonino dente aliorum famam invaditis, qui summœnianis pellecebris aures mentesq; honestas incestatis. Adeste vos, qui sub fabulis pulcerrimis philosophati estis, qvi non tantum os pueri rude, sed & pectus salutari doctrinæ fruge imbuitis, qvi naturalis scientiæ favissam panditis, qvi ad officia virtutum morumq; ingenuorum mentes traducitis, qvi tandem, ut compendio rem dicam, juventutem non solùm doctiorem, sed etiam meliorem à vestris montibus & fontibus amittitis.*

Tales Epici illi antiqviores & præcipui commatis Poetæ, qvi sub exemplis personisq; scientissimè effictis, omnem sapientiam, omnes vitæ humanæ actiones nobis ele-

gantissimè expresserunt. *Neq; nos, qvi Christo nomen dedimus nebulæ Heliconis, sive ficta Deorum nomina offendere possunt.* *Nomina sunt, non numina; nomina, inqvam, sunt, non* τῶν Θεῶν, *sed* τῶν Θείων, *qvâ voce Plato res in naturâ sublimes & à vulgi captu remotas in receptissimâ illa Philosophiæ finitione voluit intellectas.* *Poesis symbolica est, non Theologia, sed Philosophia.* *Deme fabulis larvas, id est personam idolatricam, & ectypam, & intuere faciem earum Poeticam & archetypam: sic videbis in illis non effulgescere* εἴδωλα *Deastrorum picta, sed* νοήματα *sapientiæ ficta.* *Distingve inter artem & superstitionem, inter* ἔργα & πάρεργα, *& salva tibi erit Poesis.* *Non ad formam pingendi, sed ad normam fingendi exigen-*
Marſ. *dum est artificium* Poetæ, *cujus* officium est, naturam
Ficin. & mores fingere. *Si concedimus pictori, ut sensus &*
l. 3. ep. *virtutes sub fœmellarum speciosis imaginibus effigiet, cur qvæso Poetæ non parmittimus fingere rerum personas? Inventionem & Intentionem artis respicere decet.* *Hæc non Deorum statuas, sed rerum naturalium ideas concipit.* *Non ergò Poetis, qvà Poetæ sunt, sed Ethnicis, & idolorum auctoribus imputanda est Idolomania, quæ gloriam invisibilis Creatoris infando sacrilegio profanavit, & tribuit creaturæ visibili, eiq; pictæ & fictæ.* *Quid enim*
DeFinib *sunt Idola? si* Ciceronem *audis, sunt* imagines inanes,
l. 1. *id est, rerum cassæ.*

At caveſis idem dicas de Poetarum figmentis, qvæ rem certam in naturâ sub notionis poeticæ involucro designant, qvod non tantum inter ipsos Paganos cum multis

aliis

aliis Porphyrius, teste Eusebio, sed & inter Christianos Fulgentius, Natalis Comes, ac novissimè Vossius *egregiè nos edocuerunt. A Mythologis itaq; discendum est, qvid fabulæ narrent, non à Matæologis: a Philosophis, id est, sanis viris petenda est nominum poeticorum explicatio, non ab insanis sacerdotibus, Corybantibus, Lupercis, Saliis. Non vates sunt Poetæ, sed Philosophorum fratres, imò patres. Qvod illi implicitè proposuerunt, hi explicitè exposuerunt. Propterea* Maximus Tyrius convertibilia dicit, esse Poetam, & esse Philosophum. *Habeant itaq; sua sibi idolatræ, ut Poetæ sua sibi habeant. Relinqvamus Paganicæ superstitioni sua numina: relinqvamus fabulosæ Philosophiæ sua nomina, quæ Noëmata jam sunt artis, & sine confusione subseqvâ immutari nesciunt. Terminus olim cæteris Diis in Capitolio instaurando cedere noluit: qvæ ejus pertinacia locum dedit Adagio Romanorum:* Nulli cedo Terminus: *ita termini artium semel recepti (tales revera sunt nomina poetica) immobiles sunt, & qvi eos removere è disciplinis annituntur, idem facere videntur, qvod illi, qvi agrorum terminos confundunt, & cum iis dominiorum distinctiones confundunt. Erode sedes ex fastis nomina Planetarum, qvibus dies septimanæ insignimus: dele ex tabulis Uranologis nomina poetica, qvibus Constellationes indigitamus: sic deprehendes, te eâdem opera Grammaticis, Dialecticis, Physicis, Ethicis, JCtis, Medicis, in summa omnibus omnium artium Professoribus suos posse demere terminos titulosq;, qvibus qvisq; pro suo instituto commodoq;*

De Idololatria Gentili & Physiologia Christiana.

Serm. 29.

doq; res, qvas tractat, in secundo, ut vocant, momento efferunt.

Et fuere qvidem proximo ævo, qvi ὀνομαθεσίαν *siderum fabulosam immutandam censuerunt. Hos inter est* Sallustius Bartasius *Gallicorum Poetarum Antesignanus, qvi interprete* Benedicto *ita ominatur:*

Hebdó. 2. Diei 2. lib. 4.

Postera secula doctis
Artibus hanc artem (*Astronomicam*) peragent pietatis amore
Ducta, dabuntq; poli nobiscum sancta figuris
Nomina sanctorum, non qvæ finxere profani.

Anteqvam verò ista sancta sanctorum nomina astris inscribit & consecrat, his invadit verbis simulacra stellarum profana:

Tot inania monstra Chimærasq;
Eripiam cœlis, qveis qvondam turba Pelasga
Incestare procax cœli tentavit honorem.

Verum qvod ille vovit, Astronomos nondum movit, qvod impugnavit, nondum expugnavit. Manent adhuc astris sua nomina, qvæ Hipparchus aliiq; ex vetustissimis Græcorum Astronomis à Poetis acceperunt. Sunt enim Astronomia & Poetica artes maximè cognatæ & gemellæ, quæ mutuas jungunt manus. Concedimus sanè nomina illa pleraq; esse Idololatrica, sed ex abusu Ethnicorum non usu artificum. Næ per latus Idolatræ Poetæ latus fodicant, qvi omnia sine discrimine, qvæ Poetæ commenti sunt, ad cultum Deorum gentilium pertinere autumant. Qvam multa Paradigmata animantium in stellarum Diathesi artificiosâ monstrantur, qvæ nemo unquam ex gentibus sub istis nominibus (de qvibus solis hic controversia est) adoravit? Mendosè itaq; colligit, qvi poeticum & idolatricum

cum

cum figmentum idem esse putat: Nam insigni consequentiæ, & imperitæ συνθέσεως paralogismo fallitur & fallit. Ac licet communia illa Poesi & superstitioni nomina, puta, Saturni, Jovis, Veneris, Herculis, sublata velimus, cur leporis, lupi, leonis, cancri, piscium, scorpionis, coronæ, navis simulacra, imò nomina tantùm, tolerare non decet, cur alia ex sacris his conformia substituenda? Ego, quæ mea est simplicitas, hactenus non possum dispicere, quomodo canis Tobiæ, & lepus, quem Ismael in silva Pharan forte cepit, sanctiores sint, quam Sirius, Procyon & lepus, qui Orionem venatorem in cœlo comitantur. Puto enim leporem esse leporem, canem esse canem, sive in sacro, sive nesacro legatur libro: præsertim cum ipsius Orionis, Arcturi, Plejadum, Hyadumq; nomina versibus Bibliorum inserta sint. De quibus Divum sultis audite Hieronymum, *cui Versio Latina vetus vulgò tribuitur, quiq; omnes gentilium Scriptores, Bibliothecas, Forulos & Scrinia excussit, ac inde multa in usum suum derivavit:* Nec alicui, *inquit,* gentilis videatur expositio hæc. Non enim si cœlestia & dispositionem Dei idolorum nominibus infamarunt, iccirco Dei est neganda Providentia, quæ certa lege currit & fertur, & regit omnia. Nam in Job Arcturum & Orionem & Zodiacum & cætera astrorum sidera legimus: Non quod eadem apud Hebræos vocabula sint, sed quod nos non possumus: quæ dicuntur, nisi consuetis vocabulis intelligere. *Non est igitur, quod nobis obvertant religiosi nimis censores authoritatem Doctorum primitivæ Ecclesiæ, ipsorumq;*

De Veste Sacerd. V. Voss. l. 2. c 35. De Idolatria.

 adeò

Contra Symm. l. 1. *adeò Poetarum Christianorum, qui ut* Prudentius *amat loqui,* implicitas pago voces *magno pietatis zelo monumentis suis ejecerunt. Nempe eliminarunt illi, non nomina ipsa, sed numina, non Poësin, quæ personas rerum analogicè fingit, sed Poësin superstitione imbutam. Alias ipsi, præsertim* Prudentius *laudatus, qui* virtutum vitiorumq; personas *scitissimè repræsentavit, sua vineta probè cæderent. Quid è Poësi abdicatum velint,* Hieronymus *unus instar omnium disertè exposuit:* Absit, *inquit,* ut de ore Christiano sonet; Jupiter Omnipotens, & mehercule, mecastor & cætera portenta magis quam numina. *Prohibent nimirum pii Patres gloriam Jehovæ Omnipotentis tribuere Jovi fictitio, prohibent usurpare formulas vocesq́, quæ Paganismi impietatem manifestè redolent. Cavebis ergò, ô Juventus Christo dicata, cum poemata pangere attentas, ne hymnos in Jovis, Bacchi, Martis, cæterorumq́ idolorum laudes decantes, ne te tuaq́ dedices iisdem Deastris, quorum illud in Marullo* Fabricius, *hoc in Molsa, Naugerio aliisq́ Italicis Poetis alii seriò improbant. Non minus cautè, quam catè hæc sacra sunt tractanda. Vitabis illos, qui infelici Syncretismo superstitionem gentilem cum religione Christianâ confundunt, qui Christo auspice, qui dextris avibus quævis inceptanda præcipiunt, qui ex haruspicum, & Hetruscorum disciplinâ, ut olim Romana juventus, farraginem vocum impiarum hauriunt. Aversaberis illos, qui* πολυθείαν *non numinum, sed numinis unius opidò invehunt, qui tot Apollines, quot sunt litteratores, tot Musas, quot sunt muscæ,*

In Psychom.

Epist. ad Damas.

In Præfat. in Od. sacr. libr.

musicæ, tot Veneres, quot formæ non quotidianæ mulieres sunt, in Panegyricis, Epithalamiis, Epicediis refingunt recuduntq́. Prætereunda est hæc Siren: sic enim itur in antiquam silvam, sic superstitio paganica postliminio revocatur, sic observatur illud Satyrici: Perſ.ſat.

Grande locuturi nebulas Helicone legunto. 5.

Ergò ne erres in hâc silvâ, in hoc tenebricoso Helicone, usurpabis quidem nomina poetica, sed in conceptu Astronomico & Poetico: usurpabis in carminibus tuis non de Deo, non de divinis, sed de naturalibus rebus, ne Jovem Taubm. dicas pro Jovâ, ne Phœbum pro Christo invoces: Præfat.in *quod* Taubmannus, *quod* Eobanus *seriò prohibent. Sint* Melod. *tibi notæ non nothæ Dei falsi, sed rei veræ. Ita Pietatis* Hesſ.l.1. *naufragium non facies, neq́ horrendi carminis legem in te* Sylv.antepenult. *quisquam jure detonabit, licet nomines Saturnum, Mercurium, Venerem in fastis; Minervam, Musam, Charites in versu.* Si enim omnia vocabula, quæ gentilium impietas contaminavit abdicanda sunt, neq; Sapiētię, Taubm. neq; Diei, neq; Noctis neq; Virtutis, neq; Honoris, loc.laud. neq; Pacis, neq; Belli, neq, Febris Quartanæ, neq; adeo Allii aut Cæpæ, quibus omnibus vel templa dedicata, vel divini honores olim sunt exhibiti, rectè in versum Christiani venirent nomina.

Sed ut in viam nos reponamus, quamvis ista, quæ jam recensui, nomina, offendere quenquam possint: tamen nomina Heroum, quæ Homerus, Virgiliusq́ Poetarum optimi & maximi carminibus suis inseruerunt, & æternitati consecrarunt, neminem offendent. Quemadmodum enim

illa ſunt quidam quaſi characteres rerum phyſicarum, ſi
Mythologos audimus: ita hæc Virtutum facinorumq́ immortalium paradigmata exhibent prorſus eximia. Multa
ſunt veterum carmina Ethica, ut Phocylidis, Theognidis,
Ad Nicocl. Pythagoræ aliorumq́, quæ ex graviſſimo Iſocratis judicio
perpetuò in ore eſſe merentur: ſed tamen carmina ſunt,
non Poemata, quæ docent virtutem, non demonſtrant.
Scilicet Poetæ γνήσιοι non tàm dicendo, quàm fingendo docent. Quæcunq́ ſcribunt, ſunt φιλοσοφούμενα, ſed numeris
adſtricta, ſed fabulis involuta. An credis Poetam
Toloſan. l.19.c.1. Syntax. Art. Mirab. eſſe λογοθέτην & Elegantiæ oſtentatorem, Poeticam verò
artem, quæ in electione verborum & ſententiarum
ingenia acuat? Turpiter es fruſtra, quisquis hoc credis.
Alber. Gentilis in Com. l.3. C. tit. 52. Mores civium emendat Poeſis, & eſt non minus ac
Rhetorica inſtrumentum Activæ Philoſophiæ: & ſicut verbis per Oratores bonos facit cives Rhetorica:
ita Poetica per Poetas factis fictis hoc præſtat. Fictis, inquam, factis: nam res & perſonæ, quas legimus
aut ſpectamus in Poematis, Homeri potiſſimum & Virgilii, ut ſint fortean veræ, facta certè perſonarum pleraq́
ſunt prudenter ficta, ut moneant, & cum voluptate quâdam ſuadeant. Delectant enim pariter & juvant poeticæ narrationes. Oppugnatum fuiſſe Ilium, & tandem expugnatum dubitat non nemo: neq́ ego quenquam baſilicâ
edictione adigere potero, ut credat, quæ Ilias narrat, &
Æneis denarrat. Sed eſto nobis hiſtoria, non fabula
bellum Trojanum, nam & fide hiſtoricâ narratur: an-

nexa

nexa tamen & gesta Græcorum Trojanorumq́ Heroum, qui illi bello interfuerunt, pleraq́ non esse vera, nemo, qui pleno sapit pectore, negabit. Veris multa affingit Homerus, falsa si verba spectes; Si rem, verisimilia. Affingit autem, non ut decipiat: hoc enim est Sophistæ & Præstigiatoris: sed ut instruat, & prudenter instruat. Horatius *quid censeat, audi:*

Quid sit pulcrum, quid turpe, quid utile, quid non, Lib.1.ep. 2.
Plenius & melius Chrysippo & Crantore dicit.

Rem ipsam loqueris, ô Flacce! Reverà enim plures solidæ sapientiæ fruges colligimus ex isto belli Trojani Scriptore, quam ex ventosis & jejunis multorum Stoicorum Disputationibus.

Verum dimittamus Homerum ex hâc orchestrâ, & Virgilii Æneida carptim & saltuatim perlustremus. Ecce quam insigne hîc aperitur Philosophiæ exemplaris theatrum. Est quidem felix ille Æneidos autor dissimulanter & quasi clanculò doctus: *sed ubi minimè putes illustre aliquod Philosophema insinuat, & dum narrat præclarum aliquod facinus, latenter efficaciterq́ præcipit.* Macrob. l.5.Sat. c.18. *In Ænea quid spectas? Ideam forte strenui bellatoris, & boni principis, qui togâ pariter & sago egregiè sit conspicuus? Specta amplius* nam in Marone nihil, ut in expeditione, subitò cursimq; prætereundum est; nec lectorem expeditum & cursorem, sed cunctatorem, & in singulis hærentem desiderat, cum ociosum in Turneb. l.21. Advers.c.15.

eo nihil sit. *Specta amplius, inquam: Sic perspicies eundem Æneam esse Viri* τελέιου *ideam, in quo omne genus virtutum luculentè refulgeat.*

Præsertim verò videbis exemplum Pietatis incomparabile, quod conspiciendum dedit in extremâ illâ & fatali nocte, quâ in cineres cecidit Ilium ingens. Vidistinè unquam clarius pietatis spectaculum, quam hoc Maronianum est, in quo pius Æneas Patrem decrepitum tergo acceptum ex incendio per tela per hostes in tutum deportat locum?

Sannaz. l.1.Epig.

Hæc est Iliacos pietas spectata per ignes,
Cum verita est profugos lædere flamma Deos.

Sane exemplum hoc, in quo tam graphicè pietas depingitur dignissimum est visum, quod juventuti iterum iterumq; proponeretur, ut officii sui erga Parentes, Patriam, Magistratum, ipsum Deum *admoneretur. His præsertim temporibus, quibus nihil ferè, nisi impietatis exempla est spectare, ita ut fidem jam inveniant Poetæ, qui olim virtutes in cœlum profugisse fabulati sunt. Cum ergo jam ad calcem esset deducta nostra in lib. 2. Æneid. Virgilianæ commentatio, in quâ præcipuè Grammaticorum, Rhetorum & Dialecticorum tribus nobis fuerunt obeundæ, constituimus etiam Ethicum aliquod Thema, tanquam* λῆμμα προσηρτημένον *adjicere, & officia Pietatis, prout illa laxè â Philosophis accipitur, & in Æneâ spectatur, nonnullis Declamatiunculis publicè commendare.*

Ad

Ad has die crastini DEO favente audiendas Vos, Viri Magnifici, Nobilissimi, Strenui, Amplissimi, Admodum Reverendi, Excellentissimi, Consultissimi, Experientissimi, Clarissimi, Præstantissimi, Literatissimi, Patroni suspiciendi, Fautores colendi, *submißè & officiosè invitamus. Et quemadmodum Vos institutum hoc nostrum promtâ benevolentiâ, & honorificâ præsentiâ comprobaturos esse confidimus: ita Vobis redhostimenti loco observantiæ & amoris officia, qualia nostra præstare Vobis potest tenuitas, pollicemur paratissima. P. P. Vratislaviæ, die Festo Jacobi, Anno M. DC. XXXXVI.*

ORDO

ORDO PERSONARUM ET RERUM.

Producentur

- *1. Narratores*
  - *1. Generalis, Catastrophen Lib. II. Æneid. Virgilianæ variato carminis genere expositurus*, Christophorus Blümelius Bolcenhainensis.
  - *2. Speciales exempla pietatis selectiora propositituri,*
    - Christophorus Freywald Vratislav.
    - Carolus Henricus Blacha à Lub/
    - Adamus Caspar ab Artzatt/
    - Johan-Joachimus ab Haunoldt/
    - Christophorus Alberti Vratislav.
    - Samuel Grosser Vratislaviensis,
    - Fridericus Ohl Vratislaviensis,
    - Paulus Matthiæ Vratislaviensis,
    - Christianus Klingstein Vratislav.
    - Valentinus Süssenbach Hirschberg.
- *1. Declamatores dicturi de Pietate in*
  - *Parentes ex loco à*
    - *Decoro*, Jacobus Scheffrichius Olsn.
    - *Utili*, Johannes Peucerus (Vrat.
  - *Patriam*
    - *Specialem*, Daniel Vogelius Angelomontanus,
    - *Communem ex illo vulgari : Viro forti quævis terra patria est*, Johannes Hillingerus Aurimontanus.
  - *Conjugem*, Carolus Ortlobius Olsenas,
  - *Magistratum, ejusq́;*
    - *Personam venerandam*, Daniel Lutherus Vratisl.
    - *Leges observandas*, Caspar Exnerus Gryphorinus.
  - *DEUM ex*
    - *Opinione Sapientum*, Caspar Heinrici Budissâ Lusat.
    - *Sententia Christianorum*, Caspar Passelius Olsenas.